

lib. XXV. Astens. pro meo monumento construendo, & ædificando, quod apud ipsam Ecclesiam juxta portam majorem ipsius Ecclesie ad manum dexteram, sicut ingreditur in ipsam portam volo, & ordino fieri pulchrius, quam poterit de prædictis libris XXV. Si vero contigerit me alibi, quam in Ponto voluntate divina ab hoc sæculo transmigrare volo, & ordino, ut corpus meum, vel ossa mea apportentur Pontum, & ad prædictam Ecclesiam sepeliantur, dummodo non reperiretur me alibi eligisse sepulturam meam: reliquas vero libras CL. Astenses volo, & ordino dari, & distribui inter pauperes, & pia loca secundum quod placuerit, & melius videbitur Ven. viro D. Percivallo de Lavania carissimo cognato meo, & uxori meæ Caracossæ sororis prædicti D. Percevalli. Item volo, quod Simoneta filia mea habeat de bonis meis lib. D. Januenses pro ipsa maritanda, & usque in prædictas libr. D. eam in heredem instituo in bonis meis jubens eam esse tacitam, & contentam, & nihil ultra petere possit. Item statuo, quod Alaxina filia mea similiter habeat de bonis meis libr. D. Januenses pro ea maritanda. Insuper instituo, & dimitto Gullielmum Danielelem, Ottobonum, & Percivallium filios meos æqualiter in heredes, in omnibus aliis bonis mobilibus, & immobilibus, & juribus meis, & eos dimitto, & volo esse in custodia, ac protectione, ac sub Dominio prædicti D. Percivalli eorum avunculi, & prædictæ Caracossæ matris ipsorum, quos scilicet D. Percivallum, & prædictam Caracossam do, constituo, & dimitto tutores, & curatores supradictorum filiorum meorum quemlibet eorum in solidum scilicet tutores minorum, & curatores majorum XIV. an., sed cum D. Percivallus non posset commode super negotiis ipsorum gerendis semper præsentialiter interesse, volo, & ordino, quod præf. Caracossa sit domina, & custos, salvatrix, & gubernatrix prædictorum filiorum meorum, & totius domus meæ, salva semper voluntate, consilio, & mandato ipsius D. Percivalli, & hæc habeat de bonis meis honorifice victum, & vestitum in vita sua, donec cum ipsis filiis meis sibi placuerit permanere. Si forte contingerit aliquo tempore prædictam Caracossam nollet permanere cum prædictis filiis meis, sed ab eis vellet separari, volo, & ordino, quod ipsa haberet de bonis meis ultra dotes suas lib. CC. Astenses. Cum autem videam, & agnoscam prædictos filios meos Wilielmum Danielelem, Ottobonum, & Percevallium ex hereditate paterna post meum decessum non posse vivere, & stare honorifice, ut deceret, ac per opem, & consilium dicti D. Percevalli eorum avunculi, & aliorum amicorum suorum fieri posset, & tentari, quod prædicti Ottobonus, & Percevallinus possent acquirere, & obtinere aliqua beneficia Ecclesiastica, unde dimissa paterna hereditate Gullielmo Danieli prædicto, viverent, & starent honorifice, ac decenter, in plurimum complaceret, dum tamen hoc fieret prædictorum Ottoboni, & Percevallini spontanea voluntate. Item statuo, & ordino, quod prædicti filii, & heredes mei debeant, & teneantur habere Leonem filium meum, & alios filios meos naturales, scilicet Conradum,

& Oddonum caros . . . & benivolos. Ac eis bene facere, & dicere dummodo ipsi voluerint stare ad eorum servitium, & mandatum, & . . . eorum . . . permanere, & maxime Leone partibus duabus, item devote teneantur habere Manuellium, & . . . Aloysiam caros, & benivolos, eis que benefacere, ac dicere, ac eos gubernare, & salvare in domo mea dando eis, & cuilibet dum vixerint, victum, & vestitum convenienter de bonis meis, dum tamen voluerint stare ad eorum servitium, & mandatum. Item debeant, & teneantur habere caros, & benivolos omnes masuengos, & familiares meos, ac eis benefacere, & dicere dummodo voluerint stare ad eorum servitium, & mandatum. Item statuo, & volo, quod prædicti filii mei, & heredes . . . teneantur, & debeant solvere omnia legata, & debita mea prædicta, & omnia male ablata, & injuste per me acquisita, si qua reperirentur me habuisse, restituere debeant de bonis . . . ac præsens testamentum, & omnia statuta, & ordinamenta, & legata, quæ in isto præsentis testamenti continentur attendere Item habeo quasdam alias quæstiones, sed non in dubio cum Friderico Simplici de Rocchetta, & Henrico fratre suo, atque cum Jacobino filio quondam comitis Bartolomei fratris prædictorum Friderici, & Henrici occasione castri, & loci Bublîi, seu illius partis dicti castri, quæ fuit quondam D. Oddi marchionis de Carretto avi mei, ac etiam occasione quorundam aliorum honorum, & rerum, quæ, & quas emi, & acquisivi in dicto loco, quas quæstiones omnes, sicut sunt, & habetur de ipsis, ac totum factum, & processum ipsarum quæstionum in modo, & forma, quo, & qua habeo jussi, & volui scribi, & per ordinem declaravi in alio publico instrumento inde facto a Geminiano Notario infra scripto hoc eodem an., & ind., die Sab. XXIII. febr. in castro Ponti ad hoc, ut de ipsis quæstionibus inveniatur semper rei veritas, & appareat evidenter, & ut etiam post meum decessum filiis meis sint notoria sicut mihi, nec per ignorantiam prædictorum Friderico, Henrico, ac Jacobino in his præmitterent jura sua, dummodo prædicta bona non recuperassem in vita mea, quæ quidem recuperare spero divina largiente gratia, & ad quæ recuperanda totum meum propositum est inter cetera facere meum posse. Item volo, quod omnia alia testamenta, codicilli, & legata, quæ, & quos ante præsens testamentum fecisse, seu per me reperirentur fore facta ab hodie hinc retro sint, cassa, vana, & sic prænominatus D. Bonifacius de Carretto præcepit mihi Geminiano Notario infra scripto, ut de prædictis omnibus singulis publicum facerem instrumentum. Actum est hoc in castro Ponti. Interfuerunt testes ad hoc vocati, & rogati Mascarus Notarius, & Jacobus Goslinus Notarius de Bestagno, Jacobus Corbellarius de Lovazolio, Manuel de Romania familiaris ipsius D. Marchionis, Jacobinus Sirmundus de Canellis, Bonencartus de Laxolo, qui moratur in Ponto, & Guidotus de Venetis, qui similiter moratur in Ponto. Ego Geminianus de Regio S. Palatii Notarius &c.